

# CAROLVS DVX GEL-

DRIAE ET IVLIAE, COMESQVE ZVTPHA-

nia, Gruningensium, Couordia, Drenthiaeq; dominus,  
eximjs dominis Theologis Colonieñ, S.



Vm nihil vnquam esse magis proprium, & dignius officio nostro existimauerimus, V. P. quam totis semper viribus conari, vt fidei Christianae nedum cultus in vigore suo perseveret & crescat, sed etiam doctrina eius sincera permanens & libera, perfectam teneat sui fulgoris potentiam, qua & haereticorum nebulas discutere, & aemula eorum fulgura atque incendia possit extinguere & obscurare: Intelligentes itaque non admodum multos ante annos fuisse Dionysium quendam à Rickel, virum sanctimonia vitae admirabilem, & sacrarum literarum scientia, vltra communem sortis humanae facultatem, vehementer exercitatum, qui in oppido nostro Rurumunda, sacri ordinis Carthusiani monachus cum esset, plurima ibi conscripisse opera ad reipublicae Christianae bonum valde conducentia, dicitur, referente scilicet id nobis & indicante pio ac religioso patre Lamberto Pascuali, Carthusianorum apud Confluentinos rectore primario, alijsq; pluribus viris doctis: operæ precium esse duximus, vestris illud eruditissimis indicare, rogantes, vt conquisita eius opera iam dicta, vobis exhiberi faciatis, & doctrinarum vestrarum solita diligentia examinetis, proq; vtilitate religionis Christianae aestimetis ipsa, approbantes autoritate vestra quaecunq; digna sunt, vt in publicum edita legatur, ad Christianae fidei, iam apud plurimos (proh dolor) vacillantis, robur & reparandum & confirmandum. Eorum em per typographos editionem mox fieri ad limas & approbationes vestras mirum in modum cupimus, sperantes in hoc negotio rem fieri vtilem & acceptabilem Christo domino, qui vos ad ecclesiae suae sanctae custodiam & defensionem in doctrina perfecta, & vita sancta, sanos & longaeuos conferuet. Datum ex oppido nostro Arnhem, die vigesima secunda Februarij. Anno &c. XXX.



T pmissimae principis petitioni morem gereremus, quando & id studiosissimis quibusque lectoribus arbitrati sumus gratissimum, visum est nobis, vt ex innumeris à praefato Dionysio Carthusiano, viro vndeunque doctissimo examinatis operibus, commentarij in Paulinas epistolas, primum omnium prodirent in lucem, vt si illi placebunt, & reliqua postea ederentur.

Decanus & magistri facultatis sacrae  
theologiae generalis studij Colonieñ.